5

LI
BRO
LIBER

G H

Voir sur ce livret l'Estoile - tome 9.

page 345.-
Ce livre "libellus vere aureus ante annos 70 in concilio Tridentino primum editus, deinde Romani antichristi tyrannico jussu cujusto suppressus"!-
réimprimé à Londres in-16 vers 1609.-
L'Estoile dit l'avoir en ses papiers, in-4, écrit-il(?).
70 ans avant 1609 - ferait 1540.- c'est le trop rajeunir.
Ce livret aurait existé dans le tome 3 de l'éd. des Conciles - (Cologne) de 1551 - et les papes l'auraient supprimé dans toutes les éditions suivantes.-

B.16/3 - 9.

CONSILIVM DELECTORVM CARDINALIVM ET ALIORVM PRAELATORVM, DE EMENDANDA ECCLESIA.

Bulla Pauli Papæ III. Pro reductione multorum populorum Germanicæ nationis.

In his Lector poteris uidere, ipſummet Pontificem, & aliquot ex primoribus Cardinalibus, atq; Epiſcopis, palàm fateri, id quod multi ſuperſtitioſi adhuc audent negare, nēpe in Rom. Eccleſia multos eſſe cùm in doctrina, tum in moribus abuſus, quos emendare oporteat.

1. Corinth. 5.
Expurgate uetus fermentum.

THE NEWBERRY
LIBRARY

Case
F
39
.326
1549c

51-327

CONSILIVM DELECTORVM CARDINALIVM et aliorum Prælatorum, de emendanda Eccleſia.

Beatiſsime pater, tantum abeſt, ut uerbis explicare poſsimus, quàm magnas gratias Reſpublica Chriſtiana Deo Opt. Max. agere debeat, quòd te Pontificem hiſce temporibus, ac Paſtorem gregi ſuo pręfecerit, eamq; quam habes mentē dederit, ut minimè ſperemus cogitatione eas quas Deo gratias debet, conſequi poſſe. nam ſpiritus ille Dei, quo uirtus cœlorum firmata eſt, ut ait Propheta, labantem, imò ferè collapſam in pręceps Eccleſiā Chriſti, per te huic ruinę manum, ut uidemus, ſupponere decreuit, eāq; erigere ad priſtinam ſublimitatem, decoriq; priſtino reſtituere. certiſsimam diuinæ huius ſententię coniecturam nos facere ualemus, quibus Sanctitas tua ad ſe uocatis mandauit, ut nullius aut commodi tui, aut cūiuſpiam alterius habita ratione, tibi ſignificaremus

Fatetur collapſam eſſe in præceps eccleſiam Chriſti.

Et præſer= tim Ro.Cu. *abuſibus, et morbis gra uiſsimis la= borare.*

ficaremus abuſus illos, grauiſsimos uidē licet morbos, quibus iampridem Eccleſia Dei laborat, ac præſertim hæc Romana Curia: quibus effectum propē eſt, ut paulatim ac ſenſim ingraueſcentibus peſtiferis his morbis magnam hāc ruinam traxerit, quam uidemus. Et quoniā Sanctitas tua ſpiritu Dei erudita, qui, ut inquit Auguſtinus, loquitur in cordibus nullo uerborum ſtrepitu, probē nouerat principium horum malorū inde fuiſſe, quod nonnulli Pontifices tui prædeceſſores, prurientes auribus, ut inquit Apoſtolus Paulus, coaceruauerunt ſibi magiſtros ad deſideria ſua, non ut ab eis diſcerent, quod facere deberēt: ſed ut eorum ſtudio & calliditate inueniretū ratio, qua liceret id quod liberet: inde effectū eſt, prȩterquam quòd principatum omnem ſequitur adulatio, ut umbra corpus: diffi cillimus'qu e ſemper fuit aditus ueritatis ad aures Principum, quòd cōfeſtim prodirent Doct. qui docerēt Pontificem eſſe dominum beneficiorum omnium: ac ideo cum dominus iure uendat id quod ſuum eſt, neceſſariò ſequi, in Pont. non poſſe

Attēde qua les magi= ſtros habue rint Rom. *Pontifices.*

poſſe cadere Simoniam, ita quod uolun tas Põtificis; qualiſcunq; ea fuerit, ſit regula, qua eius operationes ac actiones dirigantur: ex quo proculdubio effici, ut quicquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, Sancte Pater, tanquam ex equo Troiano, irrupere in Eccleſiam Dei tot abuſus, & tam grauiſsimi morbi, quibus nunc conſpicimus eam ad deſperationem ferè ſalutis laboraſſe, uel manaſſe harum rerum famam ad infideles uſq;. Credat Sanctitas ueſtra ſcientibus, qui ob hanc præcipuè cauſam Chriſtianam religionem deridẽt adeò, ut per nos, per nos inquimus, nomen Chriſti blaſphemetur inter gentes. Tu uerò Sanctiſsime Pater, & uerè ſanctiſsime, edoctus à ſpiritu Dei, præter ueterem illam tuam prudẽtiam, cum totus in hanc curã incubueris, ut ſanatis ægritudinibus, Chriſti Eccleſia tuę curę commiſſa, bonam ualetudinẽ recuperaret, uidiſti, ac probè uidiſti, inde incipiendam eſſe medicationem, unde primùm ortus eſt morbus: ſecutusq; doctrinã Apoſtoli Pauli, uis eſſe diſpenſator, non dominus, & fidelis

Per Papã, per Cardinales et epiſcopos, nomen Dei blaſphematur. En quàm diſerte fatentur.

Imo uult do minus eſſe. clamet qui uelit.

inueniri à Domino: imitatus etiam ſer-
uum illum, quem in Euangelio Do-
minus præfecit familiæ ſuę, ut det illis
in tempore tritici menſuram. Ac pro-
pterea decreuiſti, nolle quod non liceat,
nec uis poſſe quod non debes. Ideoq́ue
nos ad te accerſiuiſti, imperitos quidē,
ac tam magno negocio impares, non
parum tamen affectos cùm honori &
gloriæ Sanctitatis tuæ, tum præcipue
inſtaurationi Eccleſię Chriſti: ac grauiſ-
ſimis uerbis iniūxiſti, ut omnes hos abu
ſus colligeremus, tibiq́ illos ſignificare-
mus: obteſtatus, nos reddituros eſſe ra-
tionem huius negocij nobis demanda-
ti, Deo optimo, ſi negligenter ac infideli
ter ageremus. Atq́ ut omnia liberius in
ter nos tractari poſſent, tibiq́ à nobis ex
plicari, iureiurando nos obſtrinxiſti: ad-
dita etiam excōmunicationis pœna, ne
cuipiā aliquid huius noſtri muneris pro
deremus. Nos igitur tuo imperio paren
tes, collegimus quanto paucioribus fie-
ri poterit, hos morbos, eorūq́ remedia:
ea inquam quę pro tenuitate ingenij no
ſtri excogitare potuimus. Tu uerò pro
tua

At uos admodū paucos collegiſtis.

tua bonitate ac ſapiẽtia omnia reſarcies ac perficies, in quibus pro tenuitate noſtra offenderimus. Verùm ut omnia certis quibuſdam finibus complectamur, cum Sanctitas tua, & ſit princeps prouinciarum harum, quæ ſubſunt ditioni Eccleſiaſticæ, & ſit Pontifex uniuerſalis Eccleſię, ſit etiam Epiſcopus Romanus: nihil nobis dicẽdum ſumpſimus de his quæ pertinent ad hunc principatum Eccleſiæ, quem tua prudentia optimè regi uidemus. tangemus tantum ea quæ pertinent ad officium uniuerſalis Põtificis, & nonnulla quę ſunt Romani Epiſcopi. Illud uerò ante omnia Beatiſsime Pater putamus ſtatuendum eſſe, ut dicit Ariſtoteles in Polit. ſicut in unaquaqꝫ Repub. ita & in hac Eccleſiaſtica gubernatione Eccleſiæ Chriſti hanc præ omnibus legem habendam, ut quantum fieri poteſt, leges ſeruentur. Nec putemus nobis licere diſpẽſare in legibus, niſi urgenti de cauſa, & neceſſaria. Nulla nanqꝫ perniciosior conſuetudo in quauis Repub. induci poteſt, quàm hęc legum inobſeruantia, quas ſanctas maiores noſtri eſſe uoluerunt,

Non eſſe diſpẽſandum in legibus.

uoluerunt, earumq́ poteſtatē ueneran-dam et diuinam appellarunt. Scis tu hęc omnia Optime Pont. legiſti iampridem apud Philoſophos & Theologos. Illud uerò non tantum huic proximū, ſed longè prius & potius ſuperiore putamus, non licere Pōtifici & Chriſti uicario, in uſu poteſtatis clauium, poteſtatis inquimus à Chriſto ei collatæ, lucrū aliquod comparare. Hoc etenim eſt Chriſti mandatum: Gratis accepiſtis, gratis date. His primū ſtatutis, cum Sanctitas ueſtra ita gerat curā Eccleſiæ Chriſti, ut miniſtros plurimos habeat, per quos hanc curam exerceat: hi autem ſunt Clerici omnes, quibus mādatus eſt cultus Dei, Presbyteri præſertim, & maximè Curati, & præ omnibus Epiſcopi: idcirco ſi gubernatio hæc ſit rectè proceſſura, primò danda eſt opera, ut hi miniſtri idonei ſint muneri quo fungi debent.

Non licere in uſu poteſtatis clauium lucrum cōparare, ſed gratis eſſe dandū.

Primus abuſus in hac parte eſt, Ordinatio Clericorū, & præſertim Presbyterorū, in qua nulla adhibetur cura, nulla adhibetur diligentia, quòd paſsim quicunque ſint imperitiſsimi, ſint uiliſsimo genere

Ordinationes Clericorum corrigendas.

genere orti, ſint malis moribus ornati, ſint adoleſcentes, admittantur ad Ordines ſacros, & maximè ad Presbyteratū, ad characterem inquam Chriſtum maximè exprimētem: hinc innumera ſcandala, hinc contemptus Ordinis Eccleſiaſtici, hinc diuini cultus ueneratio nō tantū diminuta, ſed etiā propè iam extincta. Ideo putamus optimū fore, ſi Sanctitas tua primò in hac urbe præficeret huic negocio duos aut tres Prælatos, uiros doctos et probos, qui Ordinationibus Clericorum præeſſent: iniungeret etiā Epiſcopis omnibus, adhibitis etiam pœnis cenſurarum, ut id curarent in ſuis diœceſibus. Nec permittat Sanctitas ueſtra, ut quiſpiā ordinetur, niſi ab Epiſcopo ſuo, uel cum licentia deputatorum in urbe, aut Epiſcopi ſui. inſuper ut in Eccleſijs ſuis quiſque Epiſcopus magiſtrū habeat, à quo Clerici minores & literis & moribus inſtruantur, ut iura præcipiunt. *Scholas inſtituendas.*

Abuſus alius maximi ponderis eſt in collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum, maximè Curatorum, & præ omnibus Epiſcopatuum, in quibus uſus inua

luit, ut prouideatur perſonis quib. con
feruntur beneficia, nō autem gregi Chri
ſti & Eccleſiæ. Ideo in conferēdis his be
neficijs, Curatis inquã, ſed præ alijs Epi-
ſcopatibus curãdum eſt, ut conferantur
uiris bonis, doctisq;: ideo ut per ſe poſ-
ſint fungi illis muneribus, ad quæ tenen
tur. inſuper illis, quos uerisſimile eſt reſi-
dētiam facturos. Non ergo Italo confe-
rendum eſt beneficium in Hiſpania, aut
in Britannia, aut econtrà. hoc ſeruãdum
eſt tam in collationibus, cum uacant per
deceſſum: quàm in ceſsionibus, in qui-
bus nunc tantum habetur ratio uolunta
tis cedētis, nullius preterea rei in ceſsio-
nibus. His ſi quiſpiam præficeretur pro-
bus unus, plures' ue, bene factum iri pu-
taremus.

Beneficia et epiſcopatus cōferendos bonis et doctis et uolentibus reſidere.

Alius abuſus, cum beneficia cōferun
tur, ſeu cum cedũtur alijs, irrepſit, in con
ſtituendis ſuper eorũ fructibus penſio-
nibus: imò quandoq; cedens beneficio,
omnes ſibi fructus reſeruat. Qua in re il-
lud eſt animaduertendum, nulla alia de
cauſa, nulloq; alio iure penſiones conſti
tui poſſe, niſi ut quaſdam eleemoſynas,

quæ

quæ in pios uſus & indigentibus concedi debent. Nam redditus ſunt annexi beneficio, ut corpus animo: ideo ſua natura pertinēt ad eum qui beneficiū habet, ut poſſit ex eis uiuere honeſtè pro ſuo ordine: ſimulq́ue queat ſubſtinere impenſas pro diuino cultu: & templi ſacrarumq́ue ędium reparationem, & quod reliquum eſt, impendat in pios uſus: hæc eſt enim natura eorum redditūum. Verùm ſicuti in rerum naturæ adminiſtratione nonnulla fiunt à natura uniuerſali, prętet inclinationem uniuerſalis naturæ: ſic in Pontifice, qui eſt uniuerſalis diſpenſator bonorum Eccleſiæ, ſi uiderit eam fructuum portionem, quæ in pios uſus expendi debet, aut eius partem in pium quempiam alium uſum ut expendatur magis expedire, poteſt proculdubio id facere. Ideo iure merito penſionē ponere poteſt, ut ſubueniat egeno, præſertim Clerico, ut honeſtè queat uitā ducere, pro eiuſdē ordine. Ideo omnes fructus reſeruari, adimiq́ue id omne, quod diuino cultui ſuſtentationiq́ue habentis beneficiū tribui debet, magnus eſt abuſus.

Redditus beneficiorū in pios uſus.

Itemq́ue

Itemq́ pēſiones dari Clericis diuitibus, qui commodè et honeſtè uiuere queunt ex redditibus quos habent, magnus certè abuſus, tollendus uterq́.

Tollendas permutationes beneficiorum.

Alius item abuſus in permutationibus beneficiorū, quæ fiunt cum pactionibus, quæ Simoniacæ omnes ſunt, nulloq́ reſpectu habito niſi lucri.

Abuſus alius omnino auferēdus, qui calliditate quadam nonnullorum peritorum iam inualuit in hac Curia. nam cum lege cautum ſit, beneficia teſtamento legari non poſſe, cum non ſint teſtatoris, ſed Eccleſię: & ut res hęc Eccleſiaſtica ſeruaretur cōmunis bonorum omnium, non autem fieret priuata cuiuſpiam: inuenit humana, non tamē Chriſtiana induſtria, plurimos modos, quibus huic legi illudatur. Nam fiunt renunciationes Epiſcopatuum, aliorumq́ beneficiorum, primò cum regreſſu, addūt reſeruationem fructuum, addunt reſeruationem collationis beneficiorum. Inſuper cumulant reſeruationem adminiſtrationis, faciuntq́ hoc pacto Epiſcopum, qui nullum ius habet Epiſcopi: alterum uerò,

Tollendas quaſdā impoſturas Card. et epiſcoporum. Attēde. nā his utūtur, nec pudet eos.

uerò, cui iura omnia Epiſcopi competant, non tamen Epiſcopum. Videat Sanctitas tua, quò proceſsit aſſentatoria illa doctrina: qua tandem effectum eſt, ut id liceat quod libeat. Quid quæſo eſt hoc, niſi hæredem beneficij ſibi conſtituere? Alius præter hunc inuentus eſt dolus, cum ſcilicet coadiutores dãtur Epiſcopis petẽtibus, minus idonei quàm ipſi ſint: ita ut, niſi quiſpiam claudere oculos uoluerit, liquidò uideat, hæredẽ ea ratione inſtitui.

Item lex eſt antiqua, inſtaurata à Clemente, ne filij presbyterorum habeant parentum beneficia, ne ſcilicet res communis hoc modo fiat priuata. Diſpenſatur tamen, ut audimus, in hac ueneranda lege. Nolumus tacere id quod uerißimum eſſe quiuis prudens per ſe iudicauerit, nullam rem magis conflaſſe hanc inuidiam Clericis, unde tot ſeditiones ſunt ortæ, & aliæ inſtant, quàm hanc auerſionem commodorum & prouentuum Eccleſiaſticorũ, à communi ad rem priuatam. Antehac omnes ſperabant: nunc in deſperationem adducti, acuunt

Non eſſe auertenda commoda prouentuũ eccl. à communi ad rẽ priuatam.

linguas

linguas contra hanc ſedem.

Alius abuſus eſt in expectatiuis & reſeruationibus beneficiorum, quibus & datur occaſio, ut aliena mors deſideretur, & libenter audiatur. Præcludunt etiam aditum ſupremum dignioribus cū uacant, dant litibus cauſam. Omnes has putamus tollendas eſſe.

Tollendas expectatiuas.

Abuſus alius eſt eadem calliditate inuentus: nam quædam beneficia incompatibilia iure ſunt, & appellantur, quæ ex ipſa ui nominis maiores noſtri admonere nos uoluerunt, non deberi ea uni conferri. nunc in his diſpenſatur, nō tantum duobus, ſed pluribus: & quod peius eſt, in Epiſcopatibus. Hunc morem, qui ob auariciam tantum inualuit, tollēdum ducimus, præſertim in Epiſcopatibus. Quid de unionibus beneficiorum ad uitā unius, ne ſcilicet obſtet illa beneficiorum pluralitas ad obtinenda incōpatibilia, nonne eſt mera fraus legis?

Non eſſe dandos uni plures epiſcopatus.

Alius etiam abuſus inualuit, ut Reuerandiſſ. Card. Epiſcopatus conferantur, ſeu commendentur, non unus tantum, ſed plures: quem Pater Beatiſsime putamus

Nullum epiſcopatum dādum Cardinali.

mus magni eſſe momẽti in eccleſia Dei. primò quidẽ, quia officiũ Cardinalatus, & officium Epiſcopi, incõpatibilia ſunt. Nam Cardinalis, eſt aſsiſtere Sanct. tuæ in gubernanda uniuerſali Eccleſia. officium autẽ Epiſcopi eſt, paſcere gregem ſuum: quod præſtare bene, nec ut debet poteſt, niſi habitet cum ouibus ſuis, ut paſtor cum grege.

Præterea pater Sanct. hic uſus maximẽ obeſt exẽplo. Quomodo nanq; hæc ſancta Sedes poterit dirigere & corrigere aliorum abuſus, ſi in pręcipuis ſuis membris abuſus tolerantur? Nec ob id quòd Cardinales ſint, putamus eis magis licere trãſgredi legem, imò longè minus. Horũ enim uita debet eſſe alijs lex. Nec imitandi ſunt Phariſæi, qui dicunt & non faciunt: ſed Chriſtus Saluator noſter incepit facere, & poſtea docere. Amplius hic uſus nocet in conſultationibus Eccleſiæ. nam hæc licentia fomentũ eſt auariciæ. Ambiunt præterea Card. à Regibus & Principibus Epiſcopatus, à quibus poſtea dependent, nec poſſunt liberè ſententiam dicere: imò ſi poſſent & uellent,

At uos imitamini, qui errores oſtẽditis quidem, at non tollitis.

Card. ambiunt à Regibus epiſcopatus.

uellent, fallerentur tamen, paſsione animi in iudicãdo perturbati. Ideo utinam hic mos tolleretur, & prouiderẽt Cardinalib. ut poſſent honeſtè pro dignitate uiuere, omnib. æqualis redditus. quod putamus facile fieri poſſe, ſi uellemus abijcere ſeruitutem Mãmonæ, & Chriſto tantum ſeruire.

Vtinam faceretis hoc aliquando, ſed uerba datis.

His caſtigatis quæ pertinent ad conſtituendos tibi miniſtros, quibus ueluti inſtrumentis & cultus Dei bene adminiſtrari, & populus Chriſtianus in uita Chriſtiana bene inſtitui & regi poſsit, accedendũ nobis eſt ad illa, quæ ſpectant ad gubernationẽ Chriſti populi. In qua re Pater Beatiſsime abuſus ille primò & præ omnibus corrigẽdus eſt, ne ſcilicet Epiſcopi primùm, & præ omnibus alijs, deinde ne Curati abeſſent à ſuis Eccleſijs & Parochijs, niſi ob grauẽ aliquam cauſam: ſed reſidentiam facerent, maximè Epiſcopi, ut diximus, quia ſunt ſponſi Eccleſiæ ipſis demandatæ. Nam per Deum immortalem, quis miſerabilior uiro Chriſtiano conſpectus eſſe poteſt, Chriſtianũ orbem peragrãti, quàm

Epiſcopos & curatos remittẽdos ad eorũ eccleſias.

hæc

hæc ſolitudo Eccleſiarum ? Omnes ferè paſtores receſſerũt à ſuis gregibus, commiſsi ſunt omnes ferè mercenarijs. Imponenda ergo eſſet magna pœna Epiſcopis præ alijs, deinde Curatis, qui abſunt à ſuis gregibus, nõ tantum cenſurarum, ſed etiã ne reciperẽt redditus illi qui abſunt, niſi impetrata licẽtia, à tua Sanctitate Epiſcopi, Curati ab Epiſcopis ſuis, per breue aliquod temporis ſpacium. Legantur in hoc aliqua iura, aliquorum Conciliorum decreta, quibus cautum erat, Epiſcopo non licere abeſſe à ſua Eccleſia, niſi tribus tantum Dominicis.

Pia deploratio, interim nihil agitur.

Abuſus etiã eſt, quòd tot Reuerẽdiſſ. Card. abſint ab hac Curia, nec aliqua in parte faciãt quippiam eius officij quod ſpectat ad Cardinales. Ideo etſi fortaſſe non omnes, quia expedire exiſtimamus nonnullos habitare in prouincijs ſuis, nam per illos tanquam per radices quaſdam in totum orbem Chriſtanũ ſparſas continẽtur populi ſub hac Romana Sede, plurimos tamen eſſet Sanctitatis tuę uocare ad Curiam, ut hic reſiderẽt. Hac enim ratione, præterquam quòd funge-

rentur officio ſuo Cardinale, prouideres tur etiam amplitudini Curiæ, ſupplere- turq́ ſi quid ei detractum fuiſſet per re- ceſſum multorum Epiſcoporum, qui ad ſuas Eccleſias ſe contuliſſent.

Amplitudo Curiæ eſt illis curæ.

Alius abuſus magnus, & minimè to- lerandus, quo uniuerſus populus Chri- ſtianus ſcandalizatur, eſt ex impedimen tis quæ inferuntur Epiſcopis in guber- natione ſuarum ouium, maximè in pu- niendis ſceleſtis, & corrigēdis. Nam pri mò multis uijs eximūt ſe mali homines, præſertim Clerici, à iuriſdictione ſui Or- dinarij: deinde ſi non ſunt exempti, con fugiunt ſtatim ad pœnitentiā, uel ad Da tariam, ubi cōfeſtim inueniunt uiam im punitati: et quod peius eſt, ob pecuniam præſtitam. hoc ſcandalū Beatiſsime Pa- ter, tantopore cōturbat Chriſtianum po pulum, ut non queat uerbis explicari. Tollantur, obteſtamur Sanctitatē tuam per ſanguinem Chriſti, quo redemit ſibi Eccleſiam ſuam, eamq́ lauit eodem ſan- guine: tollantur hę maculæ, quibus ſi da retur quiſpiā aditus in quacunq́ homi- num Repub. aut regno, confeſtim, aut paulo

Audi quid Romæ fiat pecunia præſtita.

At Papa riſit obteſtationem tam grauem, nihilq́ correxit.

paulo pōſt in præceps rueret, nulloq́; pacto diutius conſtare poſſet: & tamē putamus nobis licere, ut per nos in Chriſtianam Remp. inducantur hæc monſtra.

Alius abuſus corrigēdus eſt in Ordinibus religioſorum, quod adeò multi deformati ſunt, ut magno ſint ſcandalo ſecularibus, exēploq́; plurimum noceant. Conuentuales Ordines abolendos eſſe putamus omnes, non tamē ut alicui fiat iniuria: ſed prohibendo, ne nouos poſſint admittere. Sic enim ſine ullius iniuria citò delerentur, & boni religioſi eis ſubſtitui poſsēt. Nūc uerò putamus optimū fore, ſi omnes pueri, qui nō ſunt profeſsi, ab eorum monaſterijs repellerētur.

Conuentuales ordines abolendos eſſe.

Pueros repellēdos ex monaſterijs nēpe ne fiāt marit:, ut ſolent.

Hoc etiam animaduertendū & corrigendum cenſemus, in prędicatoribus & confeſſoribus conſtituendis à fratribus, quod ab eorum præfectis primùm adhiberetur magna diligentia, ut idonei eſſent: deinde ut præſentarētur Epiſcopis, quibus præ omnib. cura Eccleſiæ eſt demandata, à quibus examinarētur per ſe, uel per uiros idoneos, nec niſi eorū conſenſu admitterentur ad hęc peragenda.

Diximus Beatiſsime pater, non licere aliquo pacto in uſu clauium aliquid lucri uteti comparari. eſt in hac re firmum uerbum Chriſti: Gratis accepiſtis, gratis date. Hoc non tantum ad Sanctitatem tuã pertinet, ſed ad omnes qui ſunt participes huius poteſtatis: ideo à legatis & nuncijs uellemus idem ſeruari. Nam ſicut uſus, qui nunc inualuit, dedecorat hanc ſedem, & conturbat populum: ita ſi fieret econtrà, maximum decus huic ſedi compararetur, & ædificaretur mirificè populus.

Legatos & nuncios nõ debere pro bullis pecuniam recipere.

Abuſus alius turbat Chriſtianum populum in Monialibus, quæ ſunt ſub cura fratrum conuẽtualium, ubi in pleriſq; monaſterijs fiũt publica ſacrilegia, cum maximo omnium ſcandalo. Auferat ergo Sanctitas ueſtra omnem eam curam à conuentualibus, eamq; det aut ordinarijs, aut alijs, prout melius uidebitur.

Audi quid fateantur de Monialibus.

Abuſus magnus & pernicioſus eſt in Gymnaſijs publicis, præſertim in Italia, in quibus multi Philoſophiæ profeſſores impietatem docent, imò in templis fiunt diſputationes impijſsimę: & ſi quę ſunt

ſunt piæ, tractantur in eis res diuinæ coram populo ualde irreuerenter: ideo putaremus indicēdum Epiſcopis, ubi ſunt publica Gymnaſia, ut per eos admonerentur Lectores, qui legūt, ne docerent adoleſcentes impietatē: ſed oſtenderent infirmitatem luminis naturalis in quæſtionibus pertinentibus ad Deum, ad mundi nouitatem, uel ęternitatem, & ſimilia, eosq́ ad pietatem dirigerent. Similiter ne permitterent fieri publicas diſputationes de huiuſmodi quæſtionibus, neq; etiam de rebus Theologicis, quę certe multū exiſtimationis perdunt apud uulgus: ſed priuatim de his rebus fiāt diſputationes, publicę de alijs quæſtionibus Phyſicis. Idemq́ iniungendū eſſet omnibus alijs Epiſcopis, maximè inſignium ciuitatū, in quibus huius generis diſputationes fieri ſolēt. In impreſſione etiam librorum eadem adhibenda eſſet diligentia, ſcribendumq́ Principibus omnibus, ut caueant, ne paſsim quiuis libri in eorum ditione imprimantur. Dādaq́ eſſet huius rei cura Ordinarijs. Et quoniam pueris in ludis ſolent nunc

En quàm apertè fatētur, quod Lectores eorum docent adoleſcētes impietatē.

Formidant Colloquia Eraſmi, perinde ac informent animos ad impietatem, quum potius ad cognoſcendas ſuperſtitiones informent.

legi Colloquia Eraſmi, in quibus multa ſunt, quæ rudes animos informãt ad impietatem, ideo eorum lectio in ludis literarijs prohibenda eſſet, et ſi qua alia ſunt huius ordinis.

Poſt hæc, quæ ad inſtituendos miniſtros tuos in hac uniuerſalis Eccleſiæ cura, & in eius deinde adminiſtratione ſpectare uidentur, animaduertẽdum eſt in Gratijs, quæ fiunt à tua Beatitudine, pręter priores abuſus, alios quoq; abuſus introductos eſſe.

Apoſtatæ.

Primus eſt in fratribus, ſeu religioſis Apoſtatis, qui poſt uotũ ſolenne à ſua religione recedũt, impetrãtq;, ne teneantur gerere habitum ſui Ordinis: imò nec ueſtigiũ habitus, ſed tantũ ueſtem honeſtam Clericalẽ: pretermittamus nunc de lucro. Iã enim diximus in principio, non licere ex uſu clauiũ et poteſtatis à Chriſto traditæ, comparare ſibi lucrũ, ſed etiam ab hac gratia abſtinendum. Nam habitus eſt ſignum profeſsionis: unde nec ab Epiſcopo poteſt dimitti, cui tenẽtur hi Apoſtatę. ideo hæc gratia eis concedi non deberet: neq; etiã cũ ipſi receſſerint

à uoto

â uoto, quo Deo ſe obligarãt, eis permittatur, ut habeant beneficia, neq; adminiſtrationes.

Alius abuſus in Quæſtuarijs ſancti Spiritus, ſancti Antonij, alijsq; huius generis, qui decipiũt ruſticos & ſimplices, eosq; innumeris ſuperſtitionibus implicãt: tollẽdos hos Quæſtuarios cẽſemus.

Fatentur Quæſtuarios S. Ant. ſolere ſuperſtitiones ſerere, ſcilicet de igne illo fabuloſo.

Abuſus alius in diſpenſatione cũ conſtituto in ſacris Ordinibus, ut poſsit uxorem ducere: hæc diſpenſatio nõ eſſet ulli danda, niſi pro cõſeruatione populi cuiuſpiã, uel gentis, ubi eſſet publica cauſa grauiſsima, præſertim his tẽporibus, in quib. urgẽt Lutherani hãc rem maximè.

Abuſus in diſpẽſatione in nuptijs inter conſanguineos, ſeu affines: certè in ſecundo gradu nõ putamus faciendam eſſe, niſi ob publicã cauſam grauẽ. In alijs uerò gradibus, nõ niſi ob cauſam honeſtam, & abſq; pecunia, ut diximus, niſi iam prius coniũcti eſſent: ubi liceret pro abſolutiõe â peccato iam perpetrato imponi mulcta pecuniaria, poſt abſolutionẽ, et deputari ad pios uſus, in quib. facit Sãctitas tua impẽſas. Nã ſicut ubi nõ eſt

Diſpẽſationes in nuptijs inter conſanguineos non eſſe faciẽdas.

peccatum in uſu clauium, nihil exigi poteſt pecuniæ: ita ubi abſolutio petitur à peccato, imponi mulcta pecuniaria poteſt, & deputari ad pios uſus.

Fatetur abſolutiones emi, & Simoniam dominari.

Abuſus alius in abſolutione Simoniaci. proh dolor, quantũ in Eccleſia Dei regnat hoc peſtilens uitium: adeò ut quidam nõ uereãtur Simoniam committere, deinde confeſtim petunt abſolutionem à pœna: imò eam emunt, ſicq; retinent beneficium quod emerunt. Non dicimus Sanctitatẽ tuam non poſſe pœnam illam, quæ eſt de iure poſitiuo conſtituta, eis cõdonare: ſed quod nullo pacto negligi debeat, ut tanto ſceleri reſiſtatur, quo nullum pernicioſius, nec magis ſcandaloſum.

Bona pauperum non eſſe in delitias conuertenda.

Licentia etiã teſtandi, Clericis de bonis Eccleſiæ nõ eſſet danda, niſi pro cauſa urgenti, ne bona pauperum conuerterentur in priuatas delicias, & amplificationes domorum.

Confeſsionalia autẽ, cum uſu altaris portatilis, non eſſent facile danda. ſic enim uileſcunt Eccleſiaſticę res, & Sacramentum omnium præcipuum. Nec indulgen-

dulgentiæ item dandæ eſſent, niſi ſemel in anno, in unaquaq; inſignium ciuitatum. Commutatio etiam uotorum neq; ita facile facienda, neq; cōmutanda, præterquam in æquiualens bonum. *Nugæ.*

Conſueuere etiam mutari uolūtates ultimæ teſtatorum, qui ad pias cauſas legant quampiam pecuniæ ſummā, quam authoritate Sanctitatis tuæ transferunt ad hęredem, uel legatarium, ob prætenſam paupertatem, etc. idq; ob lucrum certè, niſi facta ſit magna mutatio in re famiiari hæredis, per obitum teſtatoris, ita quòd ueriſimile ſit, teſtatorem ob eam mutationem mutaturum fuiſſe uoluntatem. Voluntates teſtatorum mutari, impium eſt: de lucro iam toties diximus, quare putamus omnino abſtinendum. *Nō eſſe mutādas uoluntates teſtatorum.*

Omnibus in ſumma explicatis, quæ pertinent ad uniuerſalis Eccleſiæ Pontificem, quantum animo potuimus comprehendere: reſtat ut nōnulla dicamus, quæ pertinent ad Romanū Epiſcopum. Hæc Romana ciuitas & Eccleſia, mater eſt & magiſtra aliarū Eccleſiarum. Ideo maximè in ea uigere debet diuinus cul- *O egregiā magiſtram.*

 tus,

tus, & morũ honeſtas: ideo Beatiſsime Pater ſcandalizantur omnes exteri, qui ingrediunt templũ Beatiſsimi Petri, ubi ſacerdotes quidã ſordidi, ignari, induti paramẽtis & ueſtibus, quib. nec in ſordidis ędib. honeſtè uti poſſent, Miſſas celebrant: hoc magnũ eſt omnib. ſcãdalum. ideo iniungendum eſt Reuerendiſsimo Archipresbytero, uel Reuerendiſsimo Pœnitentiario, ut hęc curent, & amoueant hoc ſcãdalum, ſicq; in alijs Eccleſijs.

Quum tanti faciãt miſſam, attẽde ad quales homines illam relegarint.

In hac etiam Vrbe meretrices ut matronæ incedunt per urbem, ſeu mula uehuntur, quas aſſectãtur de media die nobiles familiares Card. Clericiq;. Nulla in urbe uidimus hanc corruptionem, præterquam in hac omnium exemplari. habitant etiam inſignes ædes. Corrigendus etiam hic turpis abuſus.

Non conſulunt eijcienda ſcorta, ſed minuendam illorũ pompam. nam ſi nolint uxores ducere, ea ut in urbe retineantur neceſſe putant.

Sunt etiam in hac Vrbe priuatorum ciuium odia, & inimicitiæ, quas componere, & ciues conciliare præcipuè intereſt Epiſcopi. ideo per Cardinales quoſdam, Rom. præſertim, qui magis eſſent idonei, omnes hæ inimicitiæ cõponendæ eſſent, & ciuium animi conciliandi.

Sunt

Sunt in hac Vrbe hoſpitalia, ſunt pupilli, ſunt uiduæ, harũ cura maximè pertinet ad Epiſcopum, & ad Principem. ideo Sanctitas tua per Cardinales, uiros probos, poſſet etiam commodè hęc omnia curare.

Hęc ſunt Beatiſsime Pater, quę in pręſentia pro tenuitate ingenij noſtri colligenda eſſe duximus, & quæ nobis corrigenda uiderẽtur. Tu uerò pro tua bonitate et ſapiẽtia omnia, moderabere: nos certè ſi nõ rei magnitudini, quæ noſtras uires longè ſuperat, cõſcientiæ tamẽ noſtræ ſatisfecimus, nõ ſine magna ſpe, ut ſub te Principe uideamus Eccleſiã Dei purgatã, formoſam, ut columbã, ſibi concordẽ, in unũ corpus conſentientẽ, cum æterna tui nominis memoria. Sumpſiſti tibi nomen Pauli, imitaberis ſperamus charitatem Pauli: electus fuit ille ut uas, quod deferret nomẽ Chriſti per gẽtes: te uerò ſperamus. electũ, ut nomẽ iam Chriſti oblitũ à gentib. & à nobis Clericis, reſtituas, in cordib. & in operibus noſtris ægritudines ſanes, oues Chriſti in unũ ouile reducas, amoueasq; à nobis iram Dei,

Pond. uerbum In præſentia. nam multo plures ſciunt eſſe errores & deformitates inter eos, quàm modò attigerint.

Dei, & ultionem eam quam meremur, iam paratam, iam ceruicibus noſtris imminentem.

Hoc prorſus uere dicitis, oblitũ eſſe nomen Christi, atq; hinc falſæ doctrinæ et ſuperſtitiones exortæ inter uos. Deus uobis ſuum lumẽ tandẽ oſtendat, per Ieſum Chriſtum.

Gaſpar Card. Contarenus.
Ioh. Petrus Card. Theatinus.
Iacobus Card. Sadoletus.
Reginaldus Card. Anglicus.
Federicus Arch. Salernitanus.
Hieronymus Arch. Brunduſinus.
Ioh. Matthæus Epiſcopus Veronenſis.
Gregorius Abbas ſancti Georgij Venet.
Frater Thomas magiſter ſacri Palatij.

BVLLA PAVLI PAPAE III. PRO REDVCTIONE MVLTORVM POPVLORVM GERMANICAE NATIONIS.

PEtrus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Fanenſis, Aloyſius Veronenſis, ac Sebaſtianus Ferētinus, Epiſcopi Sanctiſsimi domini noſtri Pauli Papæ III. ac ſanctæ ſedis Apoſtolicæ per totā Germaniam nuncij, ad infrà ſcripta ſpecialiter deputati, Reuerendo patri Franciſco Bonuallat Abbati Luxouienſi, adminiſtratori archiepiſcopatus Biſuntinenſis, Salutem in Domino, & in cōmiſsis diligētiam debitam, noſtriſq; huiuſmodi, imò uerius apoſtolicis firmiter obedire mandatis. Noueritis, quòd nuper ſanctiſsimus Dominus noſter, Dominus Paulus, diuina prouidētia Papa tertius, ad inſtantiam & requiſitionem Cęſ. Maieſtatis, tam ſuo quàm totius ſacri Imperij ordinis nomine, nos ſuos & ſanctę ſedis Apoſtolicę nuncios, pro reductione multorum populorum Germanicæ nationis,

Multos populos ſperant reducere his ſuis bullis.

tionis, qui ab unione Eccleſiæ ſe ſeparauerũt, in Germaniam cum infra ſcriptis facultatibus, pro receptione eorum qui ad gremium Eccleſiæ redire cupiunt, ad honorem Dei, augmentum fidei, & ſalutem animarum. & ut latius in literis eiuſdē Sanctiſsimi Domini noſtri Papę ſub plũbo expeditis, ſub data Romæ apud S. Marcum, Anno incarnationis diuinæ Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octauo, pridie Calend. Septemb. Pontificatus ſui anno 14. continetur, deputauit, & deſtinauit. Quorum tenor talis eſt.

Paulus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, uenerabilibus fratribus, Petro Fanenſi, & Aloyſio Veronenſi, ac Sebaſtiano Ferentinēſi, Epiſcopis, noſtris & Apoſtolicæ ſedis nuncijs, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarũ, & Deus totius cõſolationis, qui innumeris nos curis circunſeptos, in hac procuratione uniuerſalis Eccleſiæ, quæ nobis ab illius diuina prouidētia eſt cõmendata, ea parte nos

Transformat ſe in angelũ lucis, ut poßit decipere.

conſolari

conſolari cœpit, qua maior dolor urge-
bat, & maius periculum, niſi diuina be-
nignitate remedium aliquod adhibere-
tur, eidem Eccleſiæ imminebat. Quid e-
nim magis dolẽdum fuerat Eccleſię, cu
ius exordium ab unitate proficiſcitur, &
quam ſpiritus Sanctus ex perſona eiuſ-
dem Chriſti Domini unam eſſe deſigna
uit, dicens, Vna eſt columba mea, perfe-
cta mea: & nobis qui in eius miniſterio, tanquam pro omnibus rationem reddi-
turi uerſamur: quàm plures qui Chriſti
ueſtimenta ſuſceperunt, à cæterorũ com
munione ſuſpẽſas uidere? Qui cum nec
diuiſim Chriſtum poſſent confingere,
nec Eccleſiam, quę Chriſti corpus eſt, in
duo uel plura diuidere, ipſam Eccleſiã,
ſicq; indiſciſſam Domini tunicã, ut de-
ſuper contextã, per fruſta diſcerpere ni-
terentur. Quod nos, & omnes principes
Catholicos, qui eccleſiæ ſtatum ſaluum
& tranquillum cupimus, maiore dolore
affecit, quòd nunquam intermittendam
eccleſiæ pacem procurare, tantum abe-
rat ut quicquam proficeremus, quòd e-
tiam in dies omnia in deterius labi expe
riebamur,

Veh tibi ſi hanc rationem redditurus ſis.

Id eſt, creſcebat ſeges Euāgelij, propterea res tuæ in deterius labebantur.

riebamur. In hoc uerò rerum ſtatu, & eccleſiæ periculo, cum maximè affligeremur: illa nos ſpe primùm ſuſtētabamur, quam Domini uerba in omni eccleſiæ pertubatione nos habere iubent. qui futuros graues Sathanæ contra eccleſiam prædicens, remedium ſimul, & qualis futurus eſſet euentus demōſtrauit, cum ad primos eius paſtores uerba faciēs, dixit: Sathan expetiuit ut uos cribraret tanquam triticum. & ſtatim cōuerſus ad Petrum ſermone, ait: Ego autem pro te oraui Petre, ut non deficiat fides tua: in hoc ſignificare; fidē Petri eius oratione confirmatam, illam futurā, quæ triticum Eccleſię contra omnes Sathanæ tumultus conſeruaret: qui non alium exitum habituri eſſent, præter eum qui cribrandi uerbo eſt ſignificatus, ut eccleſia purgatior, cùm à Sathana agitaretur, fieret: & Petri fides, dum quod purgatum erat conſeruaret, redderetur illuſtrior, ad eius gloriam qui pro eo orauit. Hac igitur ſpe cū nos primùm conſolaremur, tum uerò in ea magis ſumus confirmati, poſtquam Concilij œcumenici neceſſarium & con ſuetum

Petri quidē fides et doctrina illuſtrior cotidie redditur: at ea quam tu defendis, non eſt Petri, ſed longè alia, nuper ſcilicet exorta.

ſuetum ſedis Apoſtolicæ remedium ad
purganda omnia quæ Sathanæ malitia
in dogmatibus uel in moribus Eccleſiā
inuaſerāt mala, adhibuimus. Cuius qui-
dem fructus cum in alijs prouincijs ſta-
tim appareret, idem quoq; ut in nobiliſ-
ſima, & latiſsima Germaniæ prouincia
fieret, uotis omnib. à Deo optimo Max.
petebamus, quàm uarijs ac plurimis in
religione diſſenſsionibus, & controuer
ſijs iam multos annos prę cæteris Chri-
ſtianis prouincijs, magno cum animi do
lore agitari uidimus. Cumq; ob id etiam
chariſsimus in Chriſto filius noſter, Ca-
rolus Romanorum Imperator ſemper
Auguſtus, poſtulauerit, ut legatos no-
ſtros in eam prouinciā mitteremus, qui
pro huiuſmodi diſſenſionibus & cōtro-
uerſijs ſedandis præſentaneam aliquam
curationē afferrent: nos qui hoc illi pro
uinciæ maximè ſalutare, & ad reſtituen-
dam Eccleſiæ pacem admodū ualidum
& potens remedium eſſe ſperamus, ac
certò nobis perſuademus breui gloriam
Dei in ipſius Germaniæ unanimitate, ac
Eccleſiæ obedientia & unitate uiſuros:

Impudens mēdacium, niſi fructū, quas peperit, & excitauit diſcordias appellare libeat.

habita ſuper iјs cum fratribus uenerabi-libus noſtris, ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus, matura deliberatione, de eorum conſilio, & aſſenſu fraternitates ueſtras, de quarum pietate, doctrina, & prudentia plurimum in Domino confidimus, in Germaniam mittendos duximus. Primum quidem, ut illis quorũ corda Deus tetigerit, ad fidei Catholicę unitatem redire, declaretis ob paternum noſtrum, quem erga illos animũ gerimus, nos non tãtum promptos eſſe, omni paterna indulgentia & charitate eos benignè amplecti, ſed quod ad nos attinet, pro ea poteſtate quam à Deo patre miſericordiarum per ſanguinem filiј ſui partam habemus, nulla in re reſtrictos aut difficiles futuros ad eis indulgendũ: modò nõ leges dare, ſed accipere uelint, preſertim quas acceptas à maiorib. noſtris ipſe Dominus omnium, & Eccleſię conſenſus, & illis & nobis ſeruandas dedit. His itaque & huiuſmodi monitionibus animas illorum in obedientia ac cętero-rum communione, quam ueram, niſi in unitate, conſtat eſſe non poſſe, omni diligentia

Non creditur illos ita ſenſiſſe, quãdoquidẽ ſoles tu omnia pro tua libidine agere, abſq; aſſenſu reliquorum.

Volunt quidem accipere Chriſti leges, nõ tuas: nec ullus cõſenſus quicquã poteſt, aduerſus Euangeliј ueritatem.

ligentia ueſtra cõfirmabitis: & hoc cum illis uobis agendum eſt. Et hæc ſumma mandatorum noſtrorum erit, ut in illorum animis pulchritudinem & ſanctitatem ueteris diſciplinę, qua maxime ſponſa Chriſti ornatur, omni mitiore ratione inſeratis. Quod ſi poſt omnẽ adhibitam ſalutarem admonitionẽ, per ueſtrã conſcientiã abſq; publico ſcãdalo quædam de Antiquæ diſciplinę ſeueritate rẽmittenda iudicaueritis, quibus in rebus fieri poſsit, facultates quas uobis per pręſentes concedimus & præſcribimus, extra quas uobis progredi non licebit, declarabunt. De ſimilibus igitur, conſilio & aſſenſu, ac Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine uobis & cum cõſenſu reliquorum duorum, cuilibet ueſtrûm: ſeu, ſi unus ex uobis legitimo impedimento detentus, intereſſe nõ poterit, cęteris duobus, ſiue omnes et ſingulas utriuſque ſexus tam laicas quàm Eccleſiaſticas, ſeculares, et quorumuis ordinum, uel regulares perſonas, in quibuſuis etiam ſacris ordinibus cõſtitutas, cuiuſcunq; ſtatus, gradus, conditionis, & qualitatis exiſtant,

Atqui, affirmo eos nihil aliud cupere, quàm pulchritudinem & ſanctitatem ueteris diſciplinæ reſtitutam iri.

ſtant,aut quacunq; Eccleſiaſtica, etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali, et Patriarchali,aut mundana etiam,Marchionali, Ducali,aut Regia dignitate pręfulgeāt: etiam ſi capitulū, collegiū, uniuerſitas, uel communitas fuerint, quarumcunq; hæreſum aut nouarum ſectarum profeſſores,aut in eis culpabiles,uel ſuſpectas ac credentes,receptores & fautores,etiam ſi relapſæ fuerint, eorum errores recognoſcentes, & de illis dolentes, & ad orthodoxam fidem recipi humiliter poſtulantes,cognita in eis uera et non ficta aut ſimulata pœnitentia,ab omnibus & ſingulis per eas perpetratas hæreſes, & ab eadem apoſtaſias,blaſphemias, & alios quocunq; errores etiā ſub generali ſermone non ueniētes ſapiētibus peccatis,criminibusq;, exceſsibus, ac delictis, necnon excommunicationis, ſuſpenſionis,interdictorum, & alijs Eccleſiaſticis ac temporalibus,etiā corporis afflictionis,ac capitalibus ſententijs, cenſuris, & pœnis in eos præmiſſorum occaſione à iure uel ab homine latis et promulgatis, etiamſi in eis triginta & pluribus annis inſur

Nunc uelles parcere etiam ſemel relapſis,quib. non ſoles uēniam dare, quāuis Chriſtus dixerit Petro,ſeptuagies ſepties eſſe parcēdum.

inſurduerint, & eorum abſolutio nobis & dictę Sedi per literas in die cœnę Domini legi conſuetas, reſeruata exiſtat. Quorum omnium qualitates, & circunſtãtias præſentibus haberi uolumus pro expreſsis, in utroq; conſciẽtiæ uidelicet & contentioſo foro plenariè. nam ut ſuper legitimo omnibus exceſsibus, & delictis per eas uſq; ad diem abſolutionis, & liberationis deſuper faciendam commiſsis, nullatenus inquiri, accuſari, denũciari, aut moleſtari poſsint, abſoluendi & liberandi, ac aliorum Chriſti fidelium conſortio aggregandi. Nec nõ cum eis ſuper irregularitate per eos præmiſſorum occaſione, etiam quum ſic ligati miſſas, & alia diuina officia, etiam contra ritus, & ceremonias ab Eccleſia hactenus probatas, & uſitatas celebrauerint, aut illis aliàs ſe immiſcuerint, cõtracta nec nõ bigamia per eoſdem clericos, ſeculares, uel regulares, uerè aut fictè, ſeu aliàs qualitercunq; incurſa, etiamſi ex eo quod ijdẽ clerici in ſacris cõſtituti cum uiduis, uel aliàs corruptis matrimonijs de facto contraxerint, prætendatur, quodq;

Verum hi ſunt Chriſti fideles, magis quàm qui te audiunt, & ſequuntur.

Concedit, ut ſacerdotes, qui uxores duxerint, abſolui poſ-

ſint, dūmodo eas reijciant, ut in ſine bullæ. Cupit matrimonium dirimere.

quodq; bigamia, irregularitate, ac alijs
præmiſsis nō obſtātibus, in eorū ordini-
bus, dummodo ante lapſum in hæreſim
huiuſmodi ritè & legitimè promoti, uel
ordinati fuerint, etiā in altaris miniſte-
rio miniſtrare, & quæcūq; & qualiacūq;
etiā curata beneficia, ſecularia uel regula
ria, ut prius, dūmodo ſuper eis alteri ius
acquiſitū non exiſtat, retinere, & nō pro
moti ad omnes etiam ſacros presbytera
tus ordines, ab eorū ordinarijs, ſi digni
& idonei reperti fuerint, promoueri, ac
beneficia Eccleſiaſtica, ſi eis aliàs cano-
nicè conferantur, recipere & retinere ua
leant, diſpenſandi & indulgendi: ac om
nem inhabilitatis & infamiæ maculam,
ſiue notam ex præmiſsis quomodolibet
inſurgentem, penitus et omnino abolen
di, nec non ad priſtinos honores, digni-
tates, famam & patriam, & bona etiam
confiſcata, in priſtinum, & eum in quo
ante præmiſſa quomodolibet erant ſta
tu, item & omnibus & ſingulis gratijs,
priuilegijs, fauoribus & indultis, qui-
bus cæteri Chriſti fideles gaudent, &
gaudere quomodolibet poſſunt, uti &

gaudere

gaudere ualeant, in omnibus & per om
nia, perinde ac ſi à fide Catholica in ali-
quo nunquam defeciſſent, reſtituendi,
reponendi, & reintegrandi: ac eis, dum-
modo corde contriti, eorum errata &
exceſſus alicui per eas eligendo Catho-
lico confeſſori ſacramentaliter confite-
antur, ac pœnitentiam ſalutarem eis per
ipſorum confeſſorem propterea iniun-
gendam omnino adimpleant: omnem
publicam confeſsionem, abiurationem,
renunciationem, purgationem, & pœni
tẽtiam iure debitam, arbitrio ueſtro mo-
derandi, uel in totum remittendi. Nec
non communitates & uniuerſitates, ac
ſingulares perſonas quaſcunque, à qui-
buſuis illicitis pactionibus & cõuentio
nibus, per eas cum dictis aberrantibus,
ſeu in eorum fauorem quomodolibet
inuitis, & eis præſtitis iuramentis, & ho
magijs, illorumq́ omniũ obſeruatione,
& ſi quem hactenus eorũ occaſione in-
currerint periurij reatũ, etiam abſoluen
di, & iuramenta ipſa relaxandi. Ac quoſ
cunq́ regulares & religioſos, etiã in hæ-
reſim huiuſmodi, ut prefertur, lapſos,

Condonat publicã abiurationẽ.

Infringit iuramenta.

extra eorũ regularia loca, abſq; dictę ſedis licẽtia uagãtes, & apoſtaſiæ reatu, & excõmunicationis, alijsq; cẽſuris et pœnis Eccleſiaſticis per eos propterea etiã iuxta ſuorũ ordinũ inſtituta incurſis, pariter abſoluendi: ac cũ eis, ut alicui beneficio eccleſiaſtico curato de illius obtinentis cõſenſu, etiã in habitu clerici ſecularis habitũ ſuum regularem, ſub honeſta toga presbyteri ſecularis deferendo deſeruire, & extra eadem regularia loca remanere liberè & licitè poſsint, diſpenſandi. Nec non quibuſuis perſonis, etiam Eccleſiaſticis, ut quadrageſimalibus & alijs anni temporib. et diebus, quibus eſus ouorum & carniũ eſt de iure prohibitus, butyro, caſeo, et alijs lactinijs, et dictis ouis & carnibus, de utriuſq; ſiue alterius ſpiritualis, qui Catholicus exiſtat, medici conſilio, aut ſi locorum ac perſonarum qualitate inſpecta, ex defectu piſcium aut olei, uel in diſpoſitione perſonarum earũdem, ſeu alia cauſa legitima id nobis faciendũ uidebitur, ueſtro arbitrio, uti & ueſci poſsint, indulgendi & concedendi. Nec non feriarum numerũ

Abſoluit apoſtatas omnes.

Concedit ut poßint diebus à iure eius prohibitis, carnibus ueſci.

Quis iam non accurrat ad oſculandos pedes?

iuxta Lugdunenſe concilium, ſeu aliàs arbitrio ueſtro, dummodo ſinguli dies Dominici, & Natiuitatis, & Reſurrectionis Dominicæ, & Pentecoſtes, cum duobus illarum ſingulos immediatè ſequentibus diebus. Nec non Aſcenſionis etiam Dominicæ, & Corporis Chriſti, ac Circuncisionis, & Epiphaniæ, nec non Purificationis, & Aſſumptionis, ac Nauitatis beatę Mariæ, & S. Ioannis Baptiſtæ, nec non ſingulorum Apoſtolorum & Euangeliſtarum celebritates, ac omnium Sanctorum feſtiuitates ſanctificentur, minuēdi ac reducendi. Propterea ijs qui hactenus contra ſtatum Eccleſię cōmunioni ſub utraq; ſpecie ſumere præſumpſerint, ſi ut eis id concedatur humiliter deuotiōis cauſa petierint, ſublatis à ſe autem ſingulis erroribus et hęreſibus, ueſtigijs Patrum in cōcilio Conſtantienſi tunc exiſtentium, ac aliquorū prædeceſſorum noſtrorum inhærendo, facta prius per eos confeſsione in Eccleſia coram Catholico ſacerdote, in præſumptionis ſacræ Euchariſtiæ, tantum ſub una, quantum ſub utraq; ſpecie, ue-

Item quòd ex numero Dierum Feſtorum quatuor aut ſex diminuantur.

En liberalitatem, hæc eſt remiſſio ueteris diſciplinæ, cuius paulo antè meminit.

Item ut poſſit communicare ſub utraq; ſpecie, qui uoluerit. Tandem aliquā

do agnoſcit hoc eſſe præceptum Dei, qui inquit, Bibite ex hoc omnes.

rum uidelicet Chriſti Domini noſtri, & integrum corpus, contineri, Catholicam'que Eccleſiam non errare, quæ ſacerdotibus celebrantibus duntaxat exceptis, cæteros tam laicos, quàm clericos, ſub una tantum panis ſpecie communicare ſtatuit: ſub una'que ſpecie, ut præſertim ob eorum uitam uel ad tempus, de quo nobis uidebitur, communicare ualeant, ſeparatim tum loco & tempore ab ea quæ iuxta ſtatum Eccleſię huiuſmodi ſub una tantum ſpecie datur, etiam concedendi, & indulgendi. Inſuper quæcunq; beneficia Eccleſiaſtica tam ſecularia quàm regularia, etiam quæ per Catholicos poſsidētur, de ipſorum tam Catholicorū conſenſu, ſeu abſq; eorum præiudicio, unicuiq; alteri beneficio eccleſiaſtico ob eius fructuū tenuitatem, aut hoſpitali iam erecto, uel erigēdo, ſeu ſtudio uniuerſali, uel ſcholis literarijs, uniendi, annectendi, & incorporandi: aut fructus, redditus, prouentus, ſeu bona eorundem beneficiorum, diuidendi, ſeparandi, diſmembrandi: ac eorum ſic diuiſorum, ſeparatorum, ac dimembratorum,

Item ut prouentus monaſteriorū hoſpitalib. & ludis literarijs adiūgantur. Itaq; iā negligit monaſteria inſtaurari: pacem quærit, timet ſibi papa ab Euangelio.

torum partem aliјs beneficiјs, ſeu hoſpitalibus, uel ſtudiјs aut ſcholis, ſeu piјs uſibus ſimiliter ueſtro arbitrio perpetuò applicandi, & appropriandi.

Ac cum poſſeſſorib. bonorū Eccleſiaſticorum, reſtitutis in primis immobilibus per eos indebitè detentis, ſuper fructibus malè perceptis, ac bonis mobilibus conſumptis, concordandi & tranſigendi, ac eos deſuper liberandi, ac quietandi: ac quicquid ex concordiјs & tranſactionib. huiuſmodi peruenerit, in Eccleſię, cuius erant bona, uel in alios pios tantum uſus conuertendi: omnia que et ſingula alia quæ in præmiſsis, & circa ea quomodo libet neceſſaria, et opportuna eſſe cognoueritis, faciendi, dicēdi, gerendi, & exercendi.

Deniq; omnia remittit iјs qui bona Eccleſiarū occuparint, dum uelint eum adorare.

Nec non contradictores quoslibet et rebelles, ac uobis in præmiſsis nō parentes, per ſententias, cenſuras et pœnas Eccleſiaſticas, ac quęcūq; alia iuris & facti remedia appellatione poſt habita compeſcendi, & legitimis ſuper iјs habēdis ſeruatis proceſsibus, ſentētias, cenſuras & pœnas huiuſmodi, etiam iteratis uicibus

Vt nuncij poßint alios ſubſtituere, qui ſoli non poſſent ſufficere labori, et ſuſcipere tã magnã populorũ multitudinem, qui ad petendas abſolutiones, & diſpẽſationes accurrent catervatim.

bus aggrãuandi, ac auxilium brachij ſecularis, ſi opus fuerit, inuocandi. Nec non per uos, omnes in ſimul Catholicos locorum ordinarios, aut alias perſonas Deum timentes, fide inſignes, & literarum ſcientia præditas, ac grauitate morum conſpicuas, & ętate uenerandas, de quarum probitate & circunſpectione, ac charitatis zelo plena fiducia concipi poſsit, ad pręmiſſa omnia, cũ ſimili aut limitata poteſtate, ac unione beneficiorum, ſeu eorum fructuum & bonorum ſeparatione, & applicatione, ac concordia, cum poſſeſſoribus bonorum Eccleſiaſticorum, & earum liberationis duntaxat exceptis, ſubſtituendi & ſubdelegandi plenam & liberam, Apoſtolica au thoritate, tenore pręſentiũ ex certa ſcientia concedimus facultatem, & poteſtatẽ decernẽdi omnia & ſingula per uos, ſeu à nobis pro tempore ſubſtitutas, & ſubdelegatas uigore præſentiũ, & illorum forma ſeruata, alias ritè & rectè pro tempore facta & geſta, ualida & efficacia fore, ſuosq; effectus ſortiri, ac ab omnibus inuiolabiliter obſeruari debere: nec ea

aut

aut præſentes literas de ſurreptionis aut abreptionis uitio, ſeu intentionis defectu notari, uel impugnari poſſe, ſicq; in præmiſsis omnibus & ſingulis per quoſcunq; iudices, & commiſſarios quauis authoritate fungantur, etiã cauſarum palatij Apoſtolici auditores in quauis cauſa & inſtantia, ſublata eis & cuilibet eorum quauis aliter & iudicandi, authoritate, & facultate interpretandi, iudicari, & definiri debere. Ac ſi ſecus ſuper ijs à quoquam quauis authoritate ſciẽter uel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane, non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac in prouincialibus, Synodalibus & generalibus comitijs editis, ſpecialibus uel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, etiam pluries emanatis, ac in corpore iuris clauſis, & quibuſuis literis per nos ac prædeceſſores noſtros ad dictam ſedem cum quibuſuis derogatoriarum, derogatorijs, alijsq; efficacioribus clauſulis & decretis conceſsis, & emanatis, ac innouatis, nec non quarumuis etiam Cathedralium, & Metropolitanarũ ac Collegiatarum eccleſiarum,

Nugæ, quæ in Bullis ſolẽt apponi.

cleſiarum, nec non monaſteriorum, & aliorum regularium locorum quorumlibet, ac quorumcunq; ordinum iuramento, confirmatione Apoſtolica, uel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus: quibus omnibus etiã ſi pro illorum ſufficiẽti derogatione expreſſa, ſpecifica & indiuidua mentio habenda eſſet, illorum tenores, ac ſi de uerbo ad uerbum inſerti forẽt, pro ſufficienter expreſsis habentes, illis aliàs in robore ſuo permãſuris, hac uice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus. Contrarijs quibuſcũq;, aut ſi aliquibus communiter uel diuiſim, ab eadem ſede ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, uel excõmunicari nõ poſsint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem, ut hi qui per uos, aut ſubſtitutos, uel ſubdelegatos ueſtros uigore præſentium quouis modo abſoluti fuerint, ſi eis per uos, aut ſubſtitutos, & ſubdelegatos prędictos, ſpecialis pœnitentia iniuncta non fuerit, pœnitentiã per Catholicum confeſſorem, quem duxerint

xerint

xerint eligẽdum, pro præmiſsis eis iũg gendam adimplere omnino teneatur, alioqui abſolutioni illis pro tempore conceſſæ minimè ſuffragentur. Nulli ergo hominum omnino liceat, hanc paginam noſtræ conceſsionis, decreti, derogationis, & uoluntatis infringere, uel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotẽtis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apoſtolorũ eius, nouerit ſe incurſurum. Datæ Romæ, apud S. Marcum, Anno incarnationis Dominicæ 1548. Pridie Calend. Septemb. Pontificatus noſtri anno 14. Signatum Romæ de Sant. Marſal.

Nos igitur mãdatis Apoſtolicis obedire uolentes, cum primum nobis oblata fuit occaſio, ad prouinciã Germaniæ pro præmiſſorum executione & ſucceſſione, ad Cæſaream Maieſt. ut de modo executionis præmiſſarum facultatũ ageremus, acceſsimus. Cognoſcẽtes autem difficile admodum & ferè impoſsibile eſſe, ut nos in omnibus locis, in quibus uſus dictarum facultatũ *neceſſarius eſt, perſonaliter

*At nuſquã neceſſarius: quia nemini placebit conditio. hoc planè credite.

perſonaliter intereſſe poſsimus, nobisq́ꝫ propterea ad ſubſtitutionis remedium neceſſe deueniendum eſſe, te, de cuius pietate, religione, integritate uitæ, graui tate morum, & literarum ſcientia pluri- mum in Domino confidimus, iuxta fa- cultatem nobis conceſſam, uigore clau- ſulæ in dictis literis contentæ, quæ inci- pit, Nec non per uos omnes in ſimul Ca tholicos, etc. ad infrà ſcripta ſpecialiter ſubſtituimus, ſubrogamus, ac tibi uices noſtras concedimus, in primis ut omnes & ſingulas utriuſque ſexus, tam laicas quàm Eccleſiaſticas, populares, & quo- rumlibet ordinũ Regulares perſonas, in quibuſcunq́ꝫ ſacris etiam ordinibus con ſtitutas, cuiuſcunq́ꝫ gradus, ſtatus, con- ditionis & qualitatis exiſtant, etiamſi Ducali, Marchionali, aut alia quacunq́ꝫ maiori uel minori præfulgeãt dignitate, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, ac Cathedralium & collegiatarũ Eccle- ſiarum præpoſitis, iuriſdictionẽ habenti bus: nec non illis qui bona Eccleſiarum aut aliorum piorũ locorum occuparũt, ſiue occupata detinent, reſtitutione non

factà,

ſacta: duntaxat exceptis, quas nobis ſpecialiter reſeruamus, quarumcunque hæreſum aut nouarum ſectarum profeſſores, aut in eis culpabiles uel ſuſpectas, ac credentes, receptores & fautores eorum, etiam ſi relapſę fuerint, ſuos errores tamē recognoſcentes, & de illis dolentes, & ad Orthodoxam fidem redire poſtulantes, cognita in eis uera et non ficta aut ſimulata pœnitētia, ab omnibus & ſingulis per eas perpetratis, hæreſes, & ab eadem fide apoſtaſias, blaſphemias, & alios quoſcunque errores etiam ſub generali ſermone non uenientes, ſapientibus, peccatis, criminibus, exceſsibus, & delictis, nec non excōmunicationis, ſuſpenſionum, interdictorum, & alijs Eccleſiaſticis, ac temporalibus, etiam corporis afflictionibus, & capitalibus ſententijs, cenſuris & pœnis, in eos præmiſſorū occaſione à iure, uel ab homine latis, et promulgatis, etiamſi in eis 30. & pluribus annis inſurduerint, & eorum abſolutio ſanctiſſ. Domino noſtro & ſedi Apoſtolicæ etiam per literas in die cœnę Domini legi cōſuetas ſpecialiter reſeruata exi-

Ea eſt orthodoxa fides, quam amplectuntur ij quos nos hæreticos appellātis.

d ſtat,

ſtat. Quorum enim qualitates & circun ſtantias, præſentibus uolumus haberi pro expreſsis, in utroq; cõſcientię uidelicet & contentioſo foro, ita ut ſuper huiuſmodi criminibus, exceſsibus, & delictis, uſq; ad diem abſolutionis & liberationis deſuper faciendorũ per eas commiſsis nullatenus inquiri, accuſari, denunciari aut moleſtari poſſent, abſoluere & liberare, ac aliorũ Chriſti fidelium aggregare conſortio: nec non cum eis ſuper irregularitate per eas promiſſorũ occaſione, & quia ſic ligati miſſas & alia diuina officia etiam contra ritus, et ceremonias hactenus ab Eccleſia probatas, & uſitatas celebrauerint, aut aliàs ſe immiſcuerint, cõtracta nec nõ bigamia per eoſdem clericos ſeculares, uel regulares, uerè aut fictè, ſeu aliàs qualitercunq; incurſa, etiamſi ex eo quod ÿdem Clerici in ſacris conſtituti cum uiduis, uel aliÿs corruptis matrimoniÿs de facto contraxerint, pretendatur. Quodq; bigamia et irregularitate ac aliÿs premiſsis non obſtantibus, in eorũ ordinibus, dummodo ante eorum lapſum in hereſim huiuſmodi,

Lupus aggregare uult oues, ſcilicet.

di, rite & legitimè promoti, & ordinati fuerint, etiam in altaris miniſterio miniſtrare, et quæcunque et qualiacunque etiam curata beneficia ſecularia uel regularia, ut prius, dummodo ſuper eis alteri ius quæſitũ non exiſtat, retinere, & non promoti ad omnes etiam ſacros presbyteratus ordines ab eorum ordinarijs, ſi digni & idonei reperti fuerint, promoueri, ac beneficia Eccleſiaſtica, ſi eis aliàs canonicè conferantur, recipere, & retinere ualeant: reiectis & expulſis tamen prius uxoribus, ſic de facto ſibi coniunctis, & copulatis diſpenſare, ac indulgere, ac omnem inhabilitatis & infamiæ maculam ſiue notam ex prẹmiſsis quomodolibet inſurgentem, penitus & omnino abolere, nec non ad priſtinos honores, dignitates, famam, & patriam, & bona etiam confiſcata, in priſtinũ, & in eum in quo ante præmiſſa erãt ſtatu, ita ut omnibus & ſingulis gratijs, priuilegijs, fauoribus & indultis, quibus cæteri Chriſti fideles gaudent, & quomodolibet gaudere poſſunt, uti & gaudere ualeant, in omnibus ac per omnia, ac ſi à fide Catholica in ali

Sed rogo quid fiet illis mulierculis reiectis, et expulſis? quo'nã putatis eas eſſe relegandas? Proh pudor, ò crudelitatem, & impietatẽ.

quo non defeciſſent, reſtituere, & reponere, ac redintegrare: & eis dummodo corde contriti eorum errata & exceſſus, alicui per te eligendo Catholico confeſſori ſacramentaliter confiteantur, & pœnitentiam ſalutarem eis per ipſum confeſſorem propterea iniungendam omnino adimpleant, omnem publicam confeſsionem, abiurationem, renunciationem, purgationem, & pœnitentiam iure debitam, arbitrio tuo moderare: adhibita tamẽ per te moderatione, ut Clerici ſeculares, uel regulares, qui per te abſoluti & reſtituti fuerint, per aliquod tempus arbitrio tuo iuxta uicinitatem locorum præfigendum, apud aliquam ędem ſacram uel monaſteriũ aut locum alium idoneum ſequeſtrati à miniſterio altaris abſtineant, quaſcunq; etiam perſonas à quibuſuis illicitis pactionibus aut conuentionibus, per eas cum dictis aberrantibus, ſeu in eorum fauorem quomodolibet initis, & eis præſtitis iuramentis, & homagijs, illorumq; omnium obſeruatione, & ſi quem hactenus eorum occaſione incurrerint periurij reatũ, etiam abſoluere,

Nunc demũ Paradiſi portas recludit. Accurrite Germani.

abſoluere, & iuramenta ipſa relaxare, ac quaſcunq; regulares, & religioſos etiam in hæreſim huiuſmodi, ut præfertur, lapſos, extra earum regularia loca, abſq; dictæ ſedis licentia uagantes, & apoſtaſiæ reatu, & excommunicationis , alijsq; cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis per eas propterea, etiam iuxta ſuorum ordinum ſtatuta incurſis, pariter abſoluere: ac cũ eis ut alicui beneficio Eccleſiaſtico etiã curato de illius obtinentis conſenſu, etiam in habitu clerici ſecularis, habitum ſuum regularem ſub honeſta toga presbyteri ſæcularis deferendo deſeruire, & extra eadem regularia loca remanere liberè & licitè poſsint, diſpẽſare. Necnon quibuſuis perſonis etiam Eccleſiaſticis, ut quadrageſimalibus et alijs anni tẽporibus, & diebus quibus eſus ouorum & carnium eſt de iure prohibitus, butyro, caſeo, et alijs lacticinijs, & dictis ouis, & carnibus, de conſilio tamen utriuſq;, ſeu ſaltem ſpiritualis per te eligendi, qui Catholicus exiſtat, medici conſilio, aut alia legitima cauſa ſubſiſtente, eaq; tantum durante, uti & ueſci poſsint, indulgere.
 Nec

Necnon cum his qui hactenus contra ſtatutum Eccleſię communioni ſub utraque ſpecie ſumere pręſumpſerunt, ſi aliter ad gremium Eccleſię reduci non poſſint, ad tempus de quo tibi uidebitur ſaluti animarum eorum expedire, non tamen ultra determinationem, quæ deſuper per Oecumenicũ legitimumq; concilium fieri contigerit. In cæteris tamen iuxta formã & tenorẽm præinſertarum literarum, diſpenſare, & cum eis ut communionẽ ſub utraq; ſpecie recipere poſſint, indulgere poſsis, & ualeas. Notificantes nihilominus per te, ad diſpenſationem huiuſmodi communionis ſub utraq; ſpecie, & eſus carniũ, ac aliorum, non niſi cum magna maturitate, ac cum Eccleſiæ utilitate, ac animarum ſalute deueniendum eſſe, ſuper quibus ac omnibus alijs præmiſsis conſcientiam tuam oneramus. Volumus autem, & expreſſe inhibebimus, ut nec per te, nec per miniſtros tuos, mediatẽ uel immediatẽ aliquid quouis colore, etiam chartæ, uel ſigilli, ſeu laboris alicuius miniſtri, ſeu notarij, aut aliàs quomodolibet recipiatur,

En ineptiã. nam nemo eſt tam fatuu', qui ob hunc ſolum articulum à papa diſſentiat.

Id eſt, ita demũ ut poſt hac uelint agnoſcere Papam in Dominum, & in Deũ.

Poſteaquã precijs Bullarũ expilaſtis totam Europam, & pauci ſunt qui cũ-

tur,cum hęc omnia gratis accipiēda ſint, & concedi mādamus,in quibus ſi ut ſperamus te ſolertem,uigilantem,ac ut tantum decet negocium, probum & integrum exhibueris, apud ſanctitatē ſuam, Cæſar.Maieſt.Catholicos omnes,laudē magnam & gloriam conſequeris. Et à Deo opt. max. beatitudinis retributionem ſperare poteris. In quorū omnium & ſingulorum fidem & teſtimoniū præſentes literas noſtras fieri, & per notarium noſtrum ſubſcribi, ſigillorumq́ noſtrorum impreſsione muniri mandauimus.Datum & actum Bruxellæ Cameracenſis diœceſis, ſub anno à natiuitate Domini 1549. indictione 7. Sept. Calend. Iunij, Pontificatus prælibati Sanctiſſ. Domini noſtri Domini Pauli Papæ 3. anno 15. præſentibus ibidem diſcretis uiris. Dominis,Adriano Iuliano, & Lazaro Breanconio,clericis Biſaurienſ. & Ianuenſ. diœceſis,teſtibus ad pręmiſſa uocatis,et rogatis,ſic ſubſcriptum. Et quia ego Nicolaus Driel,clericus Colonien. Diœceſis,publicus Apoſtolica authoritate, nec nō ſacri Ocumenici & gene-

rent ueſtras Bullas,agnoſcitis errorem,& gratis uelletis dare:At merces ueſtras nemo emet amplius.

Diceres Ioannē Apoſtolum de ſuo Euangelio,aut de Apocalypſi fidem facere.

generalis cōcilij notarius, prędictæ ſub-ſtitutionis poteſtatis dationi, alijsq́ pręmiſsis præſens interfui: ideo ſupra ſcriptum publicū ſubſtitutionis inſtrumentum confeci, ſubſcripſi, & unà cum reuerendiſsimorum Dominorū nunciorum ſigillorum impreſsione publicaui, in fidem præmiſſorum omnium rogatus. & ſigillaui tribus ſigillis, duorum Epiſcoporum nunciorum Apoſtolicorum ſubſtituentium.

FINIS.

EX INSTRVCTIONE QVAM *Adrianus Epiſcopus Rom. dederat Epiſcopo Aprutino, eius in Germania internuncio. Inuenies hanc in libro cui titulus, Faſciculus rerum expetendarum, ad pag.* CLXXII.

Item, dices nos ingenuè fateri, quòd Deus hanc perſecutionem Eccleſiæ ſuæ inferre permittit, propter peccata hominum, maximè ſacerdotũ & Eccleſiæ prælatorum. Certum enim eſt, non eſſe abbreuiatam manũ Domini, ut ſaluare nequeat: ſed peccata diuidere inter nos & ipſum, et abſcondere faciem ſuã à nobis, ut non exaudiat. Clamant ſcripturę, peccata populi deriuari à peccatis ſacerdotum, proptereaq́(ut ait Chryſoſtomus) ſaluator noſter curaturus infirmam ciuitatem Hieruſalẽ, ingreſſus eſt prius templum, ut peccata ſacerdotum primò caſtigaret, inſtar boni medici, qui morbũ à radice curat. Scimus in hac ſancta ſede, aliquot iã annis multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mãdatis, & omnia deniq; in peruerſum mutata. Nec mirum, ſi ægritudo à capite in membra, à ſummis pontificibus in a-

Culpa ſacerdotum & prælatorũ, conturbata eſt Eccleſia.

Not. nã in ipſa ſede Rom. Papa agnoſcit multa abominanda. at cur nõ corrigit?

Omnia in peruerſum mutata: id eſt, pro Chriſti doctrina, hypocriſis & idololatria in Eccleſiã inuecta.

lios inferiores prælatos deſcẽderit. Omnes nos (id eſt prælati Eccleſiaſtici) declinauimus, unuſquiſq; in uias ſuas, nec fuit iam diu, qui faceret bonũ, nõ fuit uſq; ad unũ. Quam ob rem neceſſe eſt, ut omnes demus gloriam deo, & humiliemus animas noſtras ei, uideatq; unuſquiſque noſtrũ, unde ceciderit: & ſe potius quilibet iudicet, quàm à Deo in uirga furoris ſui iudicari uelit. Qua in re, quod ad nos attinet, polliceberis nos omnẽ operã adhibituros, ut primùm Curia hęc, unde forte omne hoc malum proceſsit, reformetur: ut ſicut inde corruptio in omnes inferiores emanauit, ita etiam ab eadẽ ſanitas & reformatio omnium emanet. Ad quod procurandũ nos tanto arctius obligatos reputamus, quãto uniuerſum mundum huiuſmodi reformationem auidius deſiderare uidemus. Nos (uti aliàs tibi dixiſſe credimus) Pontificatum hunc nũquam ambiuimus: immo quantum in nobis fuit, longè maluiſſemus, priuatam uitam agere, & in ſancto otio Deo ſeruire. Et profectò Pontificatum ipſum planè recuſaſſemus, niſi Dei timor,

Papa cauſa malorũ, & à Rom. curia omne malum.

Dominandi libido in Papis.

mor, & ſyncerus electionis noſtri mo-
dus, nec nō ſchiſmatis ex recuſatione no
ſtra imminentis metus, nos acceptare il-
lum coegiſſet. Subijcimus igitur colla
ſummæ dignitati, non ob dominandi li-
bidinem, neq; ad ditandos propinquos
noſtros, ſed ad diuinæ uoluntati paren-
dum, ad deformatam eius ſpōſam Eccle
ſiam catholicam reformādam, ad ſubue- *Errores in Eccleſia noui, & ueteres. Ex ore tuo te iudico.*
niendum oppreſsis, & doctos ac uirtute
præditos, qui multo iam tempore negle
cti iacuerunt, erigendum & ornandum,
& denique ad omnia alia agendum, quę
bonum Pontificē et legitimū beati Petri
ſucceſſorē agere oportet. Quanquam ne
mo mirari debebit, ſi nō ſtatim omnia er
rata & abuſus omnes per nos emēdatos
uiderit. Inueteratus nimiū morbus eſt,
nec ſimplex, ſed uarius & multiplex: pe-
detentim in eius cura procedendum eſt,
& prius grauioribus, magiſq; periculo-
ſis occurrendum, ne omnia pariter refor
mari uolētes, omnia perturbemus. Om
nes ſubitæ mutationes (inquit Ariſtote-
les) in republica periculoſæ ſunt. Qui ni
mis emungit, elicit ſanguinem.

EX ADMONITIONE, ATQVE *hortatione legatorum Papæ ad patres, in concilio Tridentino, lecta.*

Aduerſus eos quos ipſi hæreticos falſo appellant, decreta quidem nonnulla odio incenſi fecerunt, ſed nihil prorſus de reformatione morum, de abuſib. de pace Eccleſiæ attigerunt. Id eſt, uerã Chriſti doctrinam deſeruiſtis, atque idolomanias fouiſtis.

Vnuſquiſq; noſtrûm ante oculos ſibi in primis proponere debet, quæ nã ſint, quæ ab hoc ſacro concilio expectentur. Sunt uerò ea, quæ in Bulla Indictionis concilij cõtinentur: nempe hęreſum extirpatio, diſciplinæ Eccleſiaſticæ & morum reformatio, ac tandem pax externa totius Eccleſiæ.

Et infra.

Meritò de nobis dicatur, quod propheta in perſona Dei ueterẽ populum accuſans dicit: Duo mala fecit populus hic, me dereliquerũt fontem aquę uiuę, & foderunt ſibi ciſternas non ualentes continere aquas.

Et infra.

Si uerum fateri uolumus, aliter dicere non poſſumus, quin nobis conſcij ſimus in adminiſtrando munere nobis impoſito in pluribus defeciſſe, & horum etiam malorum ad quæ corrigenda uocamur, non minima ex parte cauſam extitiſſe.

Et

Et infra.

Quod uerò dicimus, nos paſtores his malis quibus Eccleſia eſt oppreſſa cauſam dediſſe, ſi quis hoc acrius, & magis per exaggeratione͂ quandam uerborum quàm uere͂ dictu͂ exiſtimet, hoc quidem ipſa rerum experientia, quę mentiri non poteſt, comprobabit.

Et infra.

Veniamus ad ſecundu͂, quod lapſam morum diſciplinam, & abuſus complectitur. hic uerò nihil attinet diu inueſtigare, quí nam tantorum malorum autores fuerint, quum pręter nos ipſos ne nominare quidem alium autore͂ poſsimus.

Et infra.

Noſtram enim ambitionem, noſtram auaritiam, noſtras cupiditates his omnibus malis populum Dei prius affeciſſe ſtatim inueniet, atq; harum ui ab Eccleſijs paſtores fugari, easq; pabulo uerbi priuari: bona Eccleſiaru͂, quæ ſunt bona pauperum, ab his tolli: indignis ſacerdotia conferri, & illis qui nihil à laicis præterquã in ueſtis genere, ac ne in hoc quidem differunt, dari. Quid enim horum

Vera pror ſus cõfeßio. ipſi enim ſunt cauſa malorũ omnium, ut ſæpe fatẽtur. Quilibet enim poteſt uidere eos eſſe multis falſis doctrinis, et uitijs implicitos. Cur ergo nõ correxiſtis abuſus? Cur mundum decipitis hac ueſtra hypocriſi? Nã Vergerium fugaſtis, atque alios. Cur inquã non correxiſtis hæc?

eſt, quod negare poſsimus per, hos annos à nobis factum eſſe?

Et *infra.*

Hoc uerò maximũ pignus diuinæ miſericordiæ habemus, nempe ipſam hanc inchoationem cõcilij, in quo nunc conuenimus ad erigẽdam, & inſtaurandam penè collapſam Eccleſiam.

Et *infra.*

Hoc quidem ſic habetote, nobis nec irriſores defuturos, nec qui maximis uiribus à cœpto opere nos deterreãt & auocent. Habebimus uerò nõ modò colluctationem cum carne & ſanguine, ſed cũ ſpiritualib. nequitijs in cœleſtibus.

Et *infra.*

Hic maximè illa ſunt cauenda, quę rectè monet ethnicus ille in conſilijs abijcienda, cum dicit: Omnes homines qui de rebus dubijs conſultant, ab ira, odio, amicitia uacuos eſſe debere. Nam cum in hæc omne genus hominum ſit propenſum, tum uerò ij maximè qui principibus ſeruiunt, tales enim uehementiores habent affectiones, facillimè autem ad gratiam loquũtur, uel ad odiũ, ut ſcilicet

omnia, quæ nobis ita uidẽtur fœda, ut ſunt,

En ij etiam fatentur collapſam eſſe Eccleſiam.

O' ueros uates. prorſus bellè de irriſoribus. nã irridet quidem uos totus orbis.

Diuinabãt enim fore ut papa eos deterreret, et auocaret, quanq̃ eorũ ſponte nihil gerebãt boni. Erant enim multi in cõcilio, qui mercedem

licet ipſos exiſtiment principes affectos eſſe, à quibus mercedem expectant.

Et infra.

Ante omnia nobis in hoc cōcilio ſemper eſt animaduertendum, hunc non eſſe locum laudandi aliquem, niſi ſolum Deum in Chriſto Ieſu, atq; illum ſolum iuſtificandi, omne autem genus hominum condemnandi.

Et infra.

Sic uerò omnes ordines una oratiōis ſerie accuſans in ueteri populo dicit Ezechiel in perſona Dei: Sacerdotes mei contempſerunt legē meā, & polluerunt ſanctuaria mea, inter ſacrum & prophanum non habuerūt diſtantiā, principes eius in medio illius quaſi lupi rapientes prædam, ad effundendū ſanguinem, ad perdēdas animas, & auarè ſectāda lucra populi terrę calumniabātur. hęc ille. quę utinam ad illa ſolū tempora pertinerent, ac non noſtri quoq; tēporis imaginem referent. Vtinam quum de corruptela morum ſacerdotum loquimur, huic maximam occaſionē, maximam materiam, & autoritatem ipſos principes, atq; ipſum

expectabāt, alius Cardinalatum, alius Epiſcopatū, alius pecuniā, alius aliud. empta inquā & ſerua erant multorum ſuffragia.

Attende. nā etiā papam affirmant poſſe condēnari, contra ſcholaſticos, & canoniſtas.

Sancta confeſſio.

Papæ effundunt ſanguinem piorū, & perdunt animas.

ſum populum dediſſe, negare poſſemus.

Et infra.

Quare ab hoc maximè dehortamur omnes, qui hic ſententias coram Deo, & angelis eius, atq; coram uniuerſa Eccleſia ſumus dicturi, ne ad gratiam hominis alicuius loquamur: ſic etiam multo magis, ne ad odium cuiuſquam ſententiam proferamus, etiāſi cōtra nos aduerſarij uel inimici, & hoſtis perſonam gerat.

Id eſt, ne ſpectent quid Papa cuperet, aut quid reges.

Id eſt, ne quid fiat in odiū eorum quos Luteranos appellant, & tamē ſunt omnia in odiū horum ſtatuta.

Iam uides lector hos, eſſe uerè hypocritas, qui ſimulant ut decipiant. nam re ipſa nihil agūt. Itaq; gratias age Deo per Ieſum Chriſtum, qui etiā proprijs illorum confeßionibus prodit eorum hypocriſim. Tu uerò illis neglectis, cum impoſturis & Concilijs eorum, exi tenebris audactèr, in eam quam tibi pater cœleſtis oſtendit Euangelij lucem.

F I N I S.